


05

A

682





A & Ω!  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
CONSUMMATO THEOLO-  
GIÆ SUBJECTO,  
VERO THEOLOGO,  
EX II. TIM. III. v. 17.

*Quam*  
PRÆSIDIBUS  
*Deo, Ter, Optimo, Maximo,*  
ET  
*Theologo Rariore*  
*hocceve tempore,*

*Facultatis suæ Decano Spectabilis.*

DN. D. JOHANNES

*Deutschmann/*

Professore Theologo famigeratissimo, Alumnor.

Electoral. Ephoro primario gravissimo,

DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE et atem colendo

Ad diem crastinum

Publico eruditorum examini sistet

JAC. FRID. HALLE,

Sonnenburg. Neo-March.

A. O. R. M. DC. LXXXVII.



VITENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

Bigæ Virum Venerandæ.

*Plurimum Reverendo: &c.*

**D N. SAMUELI HALLE,**

Ecclesiæ, quæ est Sonnenburgi, Pastori, ac Vicin.  
Eccles. Ordin. Johannitic: Inspectori vigi-  
lantissimo.

*DN. PARENTI, ob animum verè paternum, omni  
bonoris, amoris ac observantiæ filialis cultu atatem  
prosequendo.*

Ut Et

**V I R O**

*Admodum Reverendo, pariter ac Praclarissimo,*

**D N. M. DAVIDI GLADO,**

Ecclesiæ, quam Christus sibi colligit Cüstrini, desi-  
gnato Archi-Diacono longè meritissimo.

*DNO. AFFINI SUO inestimabili,*

Hasce Dissertationis pagellas, & in  
sui commendationem, & in grati animi  
signum, eâ, quâ par est, observan-  
tia, & submissione,

D. D. D.

RESPONDENS.




05 A 682

AD PEREXIMIUM ATQUE PRÆSTANTISSIMUM  
DN. JACOBUM FRIDERICUM HALLE,  
S.S. THEOLOGICÆ STUDIOSUM,  
DE CONSUMMATO THEO-  
LOGICÆ SUBJECTO, VERO THEOLOGO,  
PUBLICE DISPUTANTEM.

**S**ummus *Theologus* *Christus* *Jesus* est, verus *ArchiTheolo-*  
*gus*, *Theologus consummatus*, *Theologus* cælitus exorna-  
tus. In hoc enim omnes *Theauri sapientia* & *scientia*  
sunt absconditi, omnes *Theologiae Theauri* reconditi. *Plenus*  
ipse *gratia* & *veritatis*, nec in ejus plenitudine quicquam de-  
ficit. Hinc ex ejus plenitudine nos omnes accipimus *gratiam*  
pro *gratia*, *sapientiam* pro *sapientia*, *Veritatem* pro *veritate*.  
*Consummati* proinde *Nos* dicimur, sed nō *sumus*. Unusquisq;  
Verus *Theologus* plures apud se *defectus*, quam *profectus*, in  
rei veritate deprehendit. Quantum est, quod *scimus*? parum.  
Quantum est, quod *nescimus*? Multum, vel potius plurimū.  
Nostra *notitia* quoad *Res Theologicas*, *ignorantia* potius, quam  
*scientia*: *scire* nostrum, *nescire* verum. Non tamen omni  
spoliandi laude sunt, qui S.S. *Theologiae Studium* colunt, & ex-  
colunt. Ire libet, quo licet, si nō licet, quo libet. Ad *perfectio-*  
*nem* contendere pulchrum, sed ad *perfectiōnem* venire, non  
est humanum, quamvis *imperfectiōnem* suam nosse, sit &  
*Christianū*, & verè *Theologicum*. In hoc seculo vivimus in *im-*  
*perfectiōne*, tandem in futuro manebimus in *perfectiōne*,  
quando *perfectiō* cælestis tollet omnem terrestrem *imper-*  
*fectiōnem*. O quam augustum erit illud veræ *Perfectiōnis* *Se-*  
*culum*! O quam pulchrum, & jucundum, *imperfectiōne* re-  
mota, sempiternæ *beatitudinis* & *felicitatis* erit *Templum*! O  
faustum & fortunatum *Sacrosanctæ Trinitatis* in beatifica  
*Visione speculum*! Hic opere sancto Domino nostro labora-  
mus,

mus, *bella* Dei nostri sacra militamus, & mala quævis mundi  
 patienter toleramus, sed ibi *perfectionem* Theologicam, &  
 omnem *Victoriam* gloriosam expectamus. Recte proinde,  
 PEREXIMIE ATQVE PRÆSTANTISSIME DN. HALLE, facis,  
 dum ad majorem *Theologia cognitionem*, & meliorem *perfe-*  
*ctionem*, subinde contendis. Vix duo Menses elapsi sunt, cum  
 ex *Cathedra Lutheri* publica, sub meo Præsidio, de *Articulis*  
*Fidei*, juxta *Classicum Oraculum Matt. XXIX. 19.* faceres ver-  
 ba. Nec per hoc temporis intervallum *Opponendo* publicè  
 mentis Tuæ culturam neglexisti. Nunc iterum *Respondendo*,  
 deq; *Vero Theologo* differendo, juxta *Pauli ductum II. Tim.*  
*III. 17.* Tui *perfectionem* inquirere cupis. Utinam, per *DEI*  
*Gratiam* paternam, eam & invenire, & in *sinceram* MAXIME  
 REVERENDI DN. PARENTIS, INSPECTORIS OPTIME  
 MERITI, *latitiam* aliquando possidere valeres. Mundi *Sire-*  
*nes*, & *stolidæ Voluptates* quidem sæpius juvenes à Deo falla-  
 citer vocant, & à *recta Theologica cultura via*, nec absq; peri-  
 culo, nec absq; damno, fraudulenter avocant: Tu verò TI-  
 MOTHEI probatissimum *Exemplar*, de quo sacras nunc instituis  
 pugnas, semper intuearis, & *Laudatissima* VENERANDI DN. PA-  
 RENTIS *vestigia* constanter seqvaris! Sic TIMOTHEI DEUS erit  
 DEUS tuus, qui paternam *Tibi, Tuisq; studiis* *Benedictionem*, precibus  
 fatigatus, non denegabit. De *Vero Theologo* disputas, *Orationem*,  
*Meditationem* & *Tentationem*, *Theologia Studiosi* requisita, *Veriq;*  
*Theologi* *victricia* semper arma, *Tibi propria* facias! Sic *militiam bo-*  
*nam* in Domino militabis, *Studiorum cursum* feliciter consumma-  
 bis, nec inutiles bono publico *fructus* portabis, actandem *Victoria*,  
*Gloriaq;* *cælestis coronam* reportabis! Hoc pietas mea desideriiis vo-  
 vet, hoc precibus coram Domino constanter urget!  
 Dab. Witteb. d. 20. Maji Anno M DC LXXXVII.

JOHANNES Deutschmann D.



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE SUBJECTO CONSUM-  
MATO, VERO THEOLOGO,  
EX II. TIMOTH. IV. v. 17.

Textus Græcus: ἄριστος ὁ θεὸς ἀνθρώπων, πάντως  
ἐργον αἰσθητὸν ἐξήγησμένον.

Vulgata Versio: *Perfectus sit Homo Dei ad omne opus  
bonum instructus.*

B. Lutheri Germanica:

Ein Mensch Gottes sey vollkommen / zu allen gu-  
ten Wercken geschickt.

Textus Eucleatio.

I.

**P**roxima Disputatione *Studiosum Theologia*, ceu *Theologicæ  
Subjectum inchoatū*, contemplati sumus, nunc ipsum *Theo-  
logum, consummatum Theologia Subjectum*, presenti Disqui-  
sitione meditabimur, in primis quia *Paulus II. Timoth. III.  
17.* nobis *Eum* luculenter satis describere, vel proponere videtur.

2. Quod in hoc *Oraculo* respectus habeatur ad *Theologiam*,  
ejusq; *Subjectum* exhibeatur, illud in *precedentibus* non semel  
demonstratum dedimus: hic saltem observamus, quod agatur  
in brevissimis his verbis de *Theologo*, ceu *consummato Theologia  
subjecto*, (1) quia agitur de *Homine Dei*, & quidem non *vulgari*,  
sed *singulari*, qui sit ὁ θεὸς ἀνθρώπων, ut loquitur *Paulus*. Conf.  
*I. Tim. VI. 11.* Talis autem *Homo Dei* verus *Theologus* est. (2) quia  
hic *Homo Dei*, juxta *Phraseologian V. T.* dicitur אֱלֹהִים אֱמֶת,  
quod erat *Nomen Prophetæ* peculiaris, sicut pasim videre licet.  
*Prophetæ* verò fuerunt *illuminati Theologi*. (3) quia dicitur hoc  
*Subjectum* ἀριστος: jam ἀριστος proprie dicitur de *numero pari*,  
qui suis partibus, apte inter se coherentibus, ita componitur, ut  
nihil vel desit, vel superfit: & hinc consequenter etiam notat  
*integrum, perfectum*: deducitur ab ἀρῶ, congruo, vel adapto, per-

A

fectus



DE SUBJECTO CONSUMMATO,

*fectum, completum, consummatum efficio &c.* nam quod congrue numeris omnibus, mensuris omnibus adaptatum, & ad veram perfectionem accommodatum est, illud vere perfectum dicitur: & sic h. l. perfectum, probe exercitatum, & elaboratum Theologum, designat. (4) quia vocatur hoc subjectum ἐξηκουσμένον, quod est omnis δειότης & plenum, vel quavis δειότητι vehementer exornatum, omnimode consummatum. (5) quia non sibi tantum est perfectum, sed etiam aliis, non saltem κατ' ἑαυτὴν, perfecte instructum, sed etiam κατ' ἕω respectu aliorum, respectu totius Ecclesie, qui dicitur omnino perfectus Theologus. (6) quia verè divina dicitur perfecta hæc instructio, dum est Homo Dei, qui est à Deo, qui est in Deo, qui meditatur, sermocinatur, & operatur de Deo, qui cuncta suscipit & expedit cum Deo, qui labores omnes perficit per Deum, qui cuncta sua refert ad Deum, ut ejus perfectio non sit hominis, non angeli, sed solius Dei perfectio, qua de causa vocatur ὁ τῆς θεῆς ἀνδρῶν & , cujus principium est Deus, cujus medium est Deus, cujus exodium est Deus: Deus est Theologi causa, Deus est ejus anima seu, forma, Deus est ejus materia, Deus est ejus meta. (7) quia Theologus non aliunde suam perfectionem obtinet, quam à scriptura sacra, quæ verè perfectum ipsum reddit, cum omnis scriptura θεοπνευστος, sit utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad eruditionem in Justitia, quam omnem perfectionem scriptura Theologo conciliat, atq; donat, & sic ipsum vere perfectum Theologia subjectum præstat. Scriptura perfectio est Theologia perfectio. Theologia perfectio est Theologi perfectio. Sed omnis hæc perfectio non alibi, quàm in vero Theologo subjectivè reperitur. (8) quia perfecte dicitur instructus non ad nihil, non ad opera vana, vel frustranea, sed partim ad opera vera, nim. ad opera divina, quæ non possunt esse non vera; partim ad opera bona, cum opera Dei, opera Scriptura tantum bona sint, adeoq; talia quoq; sunt opera Theologi: partim ad omnia opera bona, quæ non tantum omnia, sed etiam singula certum subjectum requirunt, & exigunt, quod, juxta Paulum h. l. Theologus dicitur.



VERO THEOLOGO EX II. TIM. IV. 17.

3. Notabimus autem ex hoc Oraculo nostro (1) Theologi Definitionem, quæ ratione dicitur, quod Theologus sit homo Dei perfectus, ad omne opus bonum perfecte instructus. In quæ definitione notamus [1] Definitum, quod explicitis syllabis in Oraculo præsentem non invenitur, *συνωριστός*, tamen ibidem deprehenditur, quia dicitur (1) Homo Dei, seu Vir Dei, non eadem [2] ἐξοριστός, sic enim ipse Messias Vir Dei, & Vir Deus Gen. IV. 1. Jud. XIII. 14. &c. [b] nec εἰδωτός, quemadmodum Propheta, cum aliis Viris *ἁγίων*, Homines Dei, seu Viri Dei, vocantur; ut postea notabitur, [c] nec γαυνός, vel generaliter, quatenus Vir Dei, vel Homo Dei, tum quoad fieri, tum quoad esse dicitur, & tamen Studiosos Theologiae, quam ipsos Theologos, sub ambitu suo complectitur, quemadmodum Paulus Timotheum & Filium I. Epist. I. 2. 18. & Hominem Dei, c. VI. 11. vocat: idem etiam facit in hac Epistola posteriori c. I. 2. c. II. 1. ubi Filius appellatur, & h. l. per Hominem Dei quoque respectus ad ipsum habetur. [d] Sed κοινός, quemadmodum communiter Theologi vocantur Homines Dei, seu Viri Dei, quæ significatio præsentis est loci, dum Theologus non in fieri, sed in esse, vel in facto designat, qui sit perfectus, & ad omne bonum opus sufficienter instructus. (2) Dicitur ἀειθεός, perfectus, consummatus, habitualiter exercitatus. (3) Dicitur ἐκτελειώμενος, qui tum per *θεοπνεύστον* scripturam v. 16. tum per Theologicam Doctrinam, tum per continuam Disciplinam, tum per *δουλοῦ* & exercitationem continuam perfectissime sit elaboratus. Dicitur alias (4) in scripturis V. T. *אֱלֹהִים אֱמִתִּים* Vir Dei Deut. XXXIII. 1. I. Sam. II. 27. IX. 6. I. Reg. XIII. 1. &c. Varias Theologorum appellationes apud Veteres Rabbinos Hottinger. in Thesaur. Philolog. p. 71. seqq. annotavit, & declaravit.

4. Nos hic saltem observamus, quod Spiritus sanctus emphasis in hac appellatione non vulgarem observavit, quia Theologum non appellat Hominem Dei (1) simpliciter absque singularis emphasis articulo, *ὁ ἄνθρωπος θεός*. (2) neque tantum cum uno articulo, nimirum *ὁ ἄνθρωπος θεός*, vel *ὁ θεός*, ut pondus vel in *ὁ θεός*, vel in *θεός* nomine hæreat. (3) sed cum articulo

## DE SUBJECTO CONSUMMATO,

*geminis, dum & αὐθεωτῆς nomini, & voci Ἰησῦ præfixus articulus, ut in hac illustri denominatione singulare pondus utriq; nomini convenienter adhereret. (4) Et quidem cum notabilissimo positu Titulus hic introducitur, dum vox θεός cum articulo suo inter articulum nominis αὐθεωτῆς, & inter ipsum Nomen αὐθεωτῆς, eleganter & efficaciter includitur hoc modo, quod Theologus sit ὁ τῷ Ἰησῷ αὐθεωτῆς, tum quia Deus debet esse cor Theologi, qui suo dactu Theologum originaliter movet, suo motu vires ejus commovet, suo actu totam animam permovet, ut intellectus per illuminationem divinam Mystera salutis percipiat, voluntas per divinam impulsione eadem vehementer appetat, memoria tenaciter illa recipiat, & lingua per convenientia verba promte, juxta scripturam sacram, ad fidelium salutem proponat & exponat: tum quia Deus anima debet esse Theologi, principium omnium sacrarū cogitationum, meditationum, sermocationum, & operationum, Theologis, & Theologiae competentium: tum quia Deus est Centrum Theologorum, ex quo, tanquam ex principio cunctæ linea Theologicorum studiorum ducuntur, & ad quod eadem, tanquam ad suum scopum, & terminum reducuntur: tum quia Deus est medium perfectionis Theologorum: hoc presente, vel operante, Theologus omni perfectione gaudet: sed hoc absente, quavis imperfectione langvet: tum quia Deus nucleus est Theologi, Theologus ipse cordicis instar: hoc nucleo vivo, vel integro, Theologus est utilis & fructuosus, & præstat, ut omnis scriptura sit utilis ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, & ipse quoq; Theologus sit perfectus, ad omne bonum opus instructus: sed hoc nucleo vel absente, vel disparente, nihil est Theologus, vacuus & infructuosus, vanus & inutilis, sicut ipse Paulus dicit I. Cor. III. 7. Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus.*

5. Definitio constat tum Genere, quod sit Homo Dei, quia latius patet Homo Dei, quam ordinarius, & per variam doctrinam, atq; disciplinam formatus Theologus. Nec obstat, quod superius Homo Dei sit inter Synonyma Grammatica computatus,

VERO THEOLOGO EX II. TIM. IV. 17.

tus, nunc iterum ad *Synonyma Logica* referatur, siquidem *Varia significata* superius th. 3. sunt indicata, simul & explicata. *Synonymum* igitur *Grammaticum* est *novos*, in *usitato sensu*, sed hic tanquam *Synonymum Logicum* *γενος* adhibetur, quemadmodum *αυτολογος*, ceu *Genus analogum*, multis tribuitur, nim. *πεωτος* *Theologis perfectis*, & *consummatis*, sed *δευτερος* *Theologis imperfectis*, & adhuc *consummandis*, ipsis nim. *Theologiae Studiosis*. Hoc certe *significatu analogico* rectissime loco *Generis* ponitur.

6. Tum *Differentia*, quae desumpta videtur à *causis*, cum ordine recensentur hic *causae* partim *explicitè*, partim *implicitè*: *Implicitae causae* sunt *Efficiens & Materia*, sed *explicitae* sunt *Forma & Finis*: si nim. *Differentiam & causas* has, in *contradistinctione Generis*, considerare velimus: nam *perfectus* ipsum *Deum perfectiorem* praerequirit, & ipsum *subjectum perfectio Theologica* vel includit, vel praesupponit: si vero *Genus* simul hic conferre, vel respicere volumus, ordine *causae* recensentur, cum mentio fiat τὸ θεῶν, tanquam *Efficientis causae*. (2) Producitur ὁ ἀνθρώπων ὁμοιωσις, tanquam *Causa Materialis*. (3) Dicitur ἀρετὴ ἡθελοδουλοῦσα, & ἐξηγητησμένη, tanquam *Causa formalis*. (4) Ratione *causae finalis* destinatur *Theologus ad omne bonum opus*.

7. [II] *Causarum Expositionem*, quae in *Definitione* tantum ὡς ἐν συνοψει luculenter indicavimus, nunc autem pluribus, iuxta textum, explicare debemus. *Efficiens Causa* vel est *Principalis*, nim. ipse *Deus*, quia fit mentio τὸ θεῶν, tanquam *Autoris & Efficientis Principalis*, dum hoc τὸ θεῶν πεωτος principium *efficiens*, & *perficiens* respicit, (1) quia nomen ΔΙΕΛΕΥΣΑΝΤΩΝ, quod huic nostro *Synonymum* est, eundem respectum dicit, quemadmodum ex collatione locorum omnium apparebit. (2) quia significat *Legatum, Ministrum, Nuncium, Oratorem, Doctorem &c.* Dei, sed omnia haec nomina *causam efficientem* respiciunt, cum *Legatis* sit *Legantis* principalis, *Minister* sit *Domini*, *Nuncius*, vid. *Ministerialis*, aliquid alius, vel *principalis* nomine denunciatus, *Orator*, qui dicitur *os Dei Jerem. XV. 19.* salutis mysteria, sicut & verba revelans, *Doctor* itidem *Ministerialis ad Deum*, tanquam *Docto-*

DE SUBJECTO CONSUMMATO,

rem Doctorum refertur. (3) quia dicitur à Scriptura Θεολογία suam perfectionem obtinere, juxta connexionem v. 16. & 17. Scriptura verò Θεολογία medium est Dei principalis Autoris. (4) quia Paulus est Apostolus Dei c. I. 1. à quo Timotheus omnia mediante scriptura, didicit v. 14. 15. multo magis igitur respectu Timothei, vel alius Theologi, Deus hic principalis dicetur. (5) quia perfectio Theologica nec aliam habet, nec aliam habere potest, nec aliam habere debet Causam principalem præter Deum. (6) quia nemo nisi solus Deus perfectionem ad OMNE BONUM OPUS conferre valet.

8. Est autem Deus Theologi causa Principalis (1) Θεωδός, quod vox Θεός simpliciter & fundamentaliter indicat, (i) quia Deus radicaliter, quoad Essentiam Causa dicitur, siquidem Causa vulgo dicitur Essentia, vel Entis affectio disjuncta, prout ex Metaphysicis est notum. (2) quia vocatio, vel instructio Theologorum est opus ad extra, quod secundum Essentiam ad Deum refertur. (3) quia scriptura, per quam perficitur Theologus, est Verbum DEI, pariter quoad Essentiam. (4) quia simpliciter Deus hic cum Homine copulatur, ο τὸ Θεὸν ἄνθρωπον, adeoque dum nullius restrictionis in textu fit indicium manifestum, sic omnino Deus quoad Essentiam intelligitur, quia Deum cum Homine, Creator cum Creatura, Dominus cum Servo, Principalis cum Legato &c. conjungitur. (5) quia Theologus est miles Dei c. II. 4. (6) quia v. 7. Dominus ipse Theologo dat intellectum in omnibus &c.

9. (1) Θεωδός, quod articulus suo modo nobis indicare videtur, quia dicitur ο τὸ Θεὸν ἄνθρωπον, illius Dei Homo, nim. (1) Θεὸς Θεωδός. (2) Θεός, Θεὸς, & Θεὸς Θεωδός. Et licet hæc singula multis documentis, tum ex textu, tum ex aliis locis parallelis demonstrare possemus, tamen hac vice brevitate studebimus, cum alia plura de Theologo, juxta textum ad huc exponenda veniant, & generaliter saltem ex locis classicis hanc relationem indicabimus.

10. Ter autem potissimum hic Titulus Ecclesiæ Ministris, vel Theologis, in N. T. tribuitur, & loci singuli, sigillatim ad distinctas Dei

VERO THEOLOGO EX II. TIM. IV. 17.

DE *Itatis* personas referri videntur, & quidem *κατὰ τὴν ἔξω*, vel *ἐὐ-  
τὴν ἔξω* pulcherrimam, prout in sacris literis, imprimis *Epistolis  
Apostolicis*, inveniuntur. (1) Hic *Titulus* occurrit *I. Tim. VI. 11. Tu  
autem, O Homo Dei, hac fuge*. Hoc loco peculiariter respectus  
habetur ad *Deum Patrem*, (a) tanquam *Creatorem, Conservato-  
rem, & Gubernatorem Hominum*: ad *Creatorem* respectus habe-  
tur, quia *mundi hujus creati* mentio fit v. 1. sicut & *vita ingressus  
in hunc mundum, & egressus ex hoc mundo*: Nihil intulimus in hunc  
*mundū*: haud dubium, quia *nec auferre quid possumus*: item ad *Con-  
servatorem*, dum v. 6. loquitur de *questu, vel lucro magno, quod est  
pietas cum sufficientia*: sic v. 8. *habentes alimenta & indumenta  
quibus regamur, his contenti simus*: ad *Gubernationem* v. 1. seqq.  
*Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos  
arbitrentur, ne NOMEN DOMINI, & doctrina blasphemetur.* (b)  
tanquam ad *Legislatorem* v. 9. & 10. (c) tanquam ad *Virtutum  
Autorem* v. 11. (d) tanquam ad *Christi Jesu Patrem* v. 13. & c.

II. (2) Postea *Titulus* hic occurrit h. l. *II. Tim. III. 17.* & non  
inconvenienter ad *Deum Filium, Salvatorem nostrum Christum  
Jesum* refertur, si *precedentia*, tanquam suo modo vel *asserentia,*  
vel *exponentia, vel restringentia, vel probantia, vel illustrantia,* con-  
ferre volumus. Respicit enim hic *Homo Dei* (1) *Jesum Christum  
Doctorem*, cujus *Nomen Paulus* coram *Gentibus* prædicabat *Act.  
IX. 15. pro quo.* vel *cujus vice Paulus* Ministerium suum admini-  
strabat, & *doctrinam* ubiq; locorum disseminabat, eum primis  
*verbum reconciliationis* *II. Cor. V. 19. 20.* quia de causa dicit h. l. v.  
10. *Tu, (Timothee) assecutus es meam doctrinam, institutionem,  
propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam & c.* (2)  
*Jesum Christum externum Liberator em* v. 11. ubi loquitur de suis  
*persecutionibus & passionibus*: sed addit: *Ex omnibus eripuit me  
Dominus* (3) *Jesum Christum, Crucianorum Ductorem & Impera-  
torem, vel propugnatorem* v. 12. *Omnes, qui volunt pie vivere in  
Christo Jesu, persecutionem patientur.* (4) *Jesum Christum fidei  
fundatorem*, quia v. 15. *fides* commendatur, quæ est in *Christo Je-  
su, & tam Theologiae Doctoribus, quam Auditoribus* demandatur.

[5] Je-

DE SUBJECTO CONSUMMATO,

(5) *Jesum Christum aeternum Salvatorem*, itidem v. 15. quia per *Theologiam Homines Dei* dicuntur alios ad salutem informare, quae est in *Christo Jesu*.

12. (3) Deniq; *Titulus* hic repetitur II. *Per. I. 28.* quod non humana voluntate sit unquam allata *Prophetia*, sed *Spiritu sancto inspirati locuti sint sancti Dei Homines*, οἱ ἅγιοι Ἰησὺ ἀποστολοῦ. Licet autem ἀμέσως hic sermo sit de *Prophetis, Apostolis & aliis Viris θεοπνεύσεis*, tamen ἐμμέσως & ἐπιμύνως, *Ordinarii Theologi*, vel *Ecclesiae Ministri*, neutiquam excluduntur, cum *circumstantia textus* ad hoc etiam respiciant. Non autem opus est, ut vel ex *contextu*, vel ex *aliis fundamentis* demonstremus, hic *sanctos DEI Homines* ad *Spiritum sanctum* referri, cum *textus clarissima verba* luculenter, abundanter, & efficaciter id evincant, dum asseritur, quod ἅπασαν τὴν πνεύματι & ἀγίας φερόμενοι loquuntur *sancti Dei Homines, & Theologi*.

13. *Instrumentalis causa*, vel *intermedia* dicitur *Verbum Dei*, quod ἐμφοτικῶς, & per τὰ ἰερά γράμματα, & per πᾶσαν γραφήν θεοπνευστων introducitur. Quod autem *Verbum Dei* sit *medium perfectionis Theologicae*, *Paulus* demonstrat (1) ex *solitaria scriptura sufficientia*, quia *Paulus Timotheo* praecipit, ut in his, quae juxta *scripturam* didicerit, tantummodo manere, suamq; *sufficientiam Theologicam* ita vel obtinere, vel possidere debeat v. 14. (2) ex *solitaria Theologia addiscentia*, quia tantum *Timotheus* ex *scripturis Theologiam* didicisse perhibetur. (3) ex *adequata scientia*, quia *Timotheus* ex *scripturis*, tanquam unico totius *Theologiae principio*, dicitur sua nosse. (4) ex *apodictica scripturarum ἀσφαλεία*, quia *Timotheus Theologus*, in *rebus Theologicis* ex *solis scripturis* dicitur ἰσχυρῶς, confirmatus, & *solida scientia corroboratus*. (5) ex *ipse scripturae eminentia*, quia propterea πᾶσα γραφή θεοπνευστος, *divina* tum *originis*, tum *perfectionis*, tum *operationis*, ut per eam quoq; *perfecti Theologi* fierent. (6) ex *adequata scripturarum, mentione Theologorum, efficiencia*, quia dicitur utilis ad *docendum*, ad *arguendum*, ad *corrigenendum*, ad *erudiendum in justitia*. (7) ex *perfecta consequentia*, quia per *scriptu-*

VERO THEOLOGO EX II TIM IV. 17.

scripturam perfectam etiam Homo Dei fit perfectus, ad omne bonum opus perfecte instructus, sicut ipse textus attestatur.

14. *Causa Ministerialis* quoque non deficit, licet non adeo respectu Theologi, quam Theologiae Studiosi, necessaria sit, unde potest considerari tum quoad Fieri Theologi, sic Paulus v. 14. de Timotheo testatur, quod non sit *αὐτοδιδάκτῃς*, sed quod suam Theologiam ab Apostolis didicerit, & quod sciat, atque certus sit, à quo didicerit. Non enim parum refert, à quo Theologi futuri suam Theologiam discunt. Fortes creantur fortibus, & à probatis, & consummatis Theologis nascuntur per doctrinam solidam Probati Theologi. Tum quoad Esse, sic Spiritus Prophetarum Prophetis (h. e. Theologi Theologis) subjiciuntur. In Gloss. marg. recte monetur: *Quidam putant, cum intellectum & donum Spiritus habeant, nemini cedendum, aut tacendum esse, unde Sectae & dissidia sequantur. Sed Paulus dicit hic, posse, & debere eos cedere, cum donum Spiritus in ipsorum potestate sit, ne utantur eo contra consensum, ne possint dicere, se agi, & cogi à Spiritu.* Hinc Doctorandis apud Nos in Theologia per Ministrum publicum, inter alia capita juramenti, publice proponitur: *Et cum incident controversiae difficiles & obscurae, non solus, nec temere, sed re deliberata cum aliquibus Senioribus, qui docent Ecclesias, retinentes Doctrinam Augustanae Confessionis, secundum normam & regulam verbi divini, atque Christianae fidei pronuntiabo.* Nam perfectio Theologi non est omnimoda, sed accommodata, non absoluta, sed ad Sacras literas relata, sicut ex connexionem v. 16. & 17. manifesta.

15. *Causa Materialis* hic dicitur Homo Dei, qui nim. *ἀυσίως* subjectum notat, sed *ἐπιμέσως* principium materiale, vel materiam ex qua, vel etiam objectum, aut Materiam circa quam non excludit. Dum dicitur *ὁ τῷ Θεῷ* non respectus habetur ad partes naturales, ex quibus alius Homo vel essentialiter, vel etiam integraliter constituitur, sed potius ad partes tum Doctrinales, quae sunt *τὰ τῷ Θεῷ* 1. Cor. II. 10. *Mysteria Dei, Dogmata Dei &c.* non modo ratione *θεῖως* considerata, ut nim. Homo Dei sciat, quae didicerit, *μαθήματα* sint *ἀσκήματα*: quae didicit ex scripturis totum

B

Ho.

DE SUBJECTO CONSUMMATO,

Hominem Dei constituent, ut ex his *Doctrinalibus thesauris bonis*, bona semper proferre valeant, *Matt. XII. 35.* sed etiam *ratione βλῶσις*, quia tum demum *Hominis Dei materialia* sua debita perfectione gaudent, quando cuncta per *scripturas* stabilire novit, ut ex *v. 16.* hic apparet, quo nim. & ipse sit *ἱεροδιδάσκαλος*, & suos etiam *Discipulos*, vel *Auditores* in rebus *Theologicis* per *sacras litteras* faciat *ἱεροδιδάσκοντες*. Ubi *solida Doctrina Theologi*, ibi *solida scientia Studiosi Theologiae*. Tum *Officiales*, sic etiam hic certe *perfectio Theologo partes* attribuuntur, ex quibus ejus *Theologicum Officium* constare deprehenditur, nim. ut sit *perfectus* (1) in *Officio Didactico*. (2) in *Officio Elenctico*. (3) in *Officio Epanorthotico*. (4) in *Officio Paedutico*.

16. *Materia circa quam Theologi*, juxta textum, non uno modo considerari debet, sed (1) *à priori*, sic *πᾶσα γὰρ ὁ θεὸς ἡμεῶν*, est *objectum Theologi*, quod diurna, nocturnaq; manus versari debet, quia *beatus, & perfectus Theologus* is est, qui debito modo *meditatur in lege Domini die & nocte*, neque sibi tantum, sed etiam *aliis* meditari *scripturam* tenetur, ut eos possit *ὁδοποιεῖν* *ἀλλὰ πῆρως ἐς σωτηρίαν* *v. 15.* (2) *à formali*, sic iterum *objectum Theologi* dicuntur *τὰ ἱερὰ*, *Mysteria salutis*, *Arcana Regni caelorum*, *Dogmata Theologiae*, quae *proprium sunt* *ἐκείνου Theologi*, non ut sibi talia retineat, sed ut illa *cunctis Ecclesia civibus* exhibeat, & ad *fidem* atq; *salutem* eorum *constanter* exerceat, & *sapienter* *constanter*, ac *efficaciter*, *sacra clinodia Dei nostri* distribuatur. (3) *à posteriori*, sic ad *omne bonum opus* respicit *objectum à posteriori*, non saltem quoad *ἐνέργειαν & operationem*, ut *accurate Dogmata Theologiae* doceat in *Thesi*, *maturè* *contradicientes* arguat in *Antithesi*, quoad *solidam γῶσιν*, sed etiam quoad *puram pietatis τὴν ἔνδον* *malos mores* corrigat, per *justam convenientem Epanorthosin*, & *rectè bonos mores* instruat, quoad *efficacem παιδείαν* *verbis & factis*, *monitis & exemplis*, ut *vera Christiana justitia*, tum quoad *Christianam fidem*, tum quoad *Christianam vitam*, in *Ecclesia* floreat.



VERO THEOLOGO EX II. TIM. IV. 17.

17. Deniq; *Materiam in qua, vel Subiectum*, ad quod directe nobis hic respiciendum hoc cum *Paulo*, juxta textum, adsumimus, quod dicitur *ὁ θεὸς ἄνθρωπος* ☉. Considerabimus a. hoc *Subiectum*, juxta *titulum* laudatum (i) *ὁλικῶς*, ratione *sue totalitatis*, sicut alias dicitur *Subiectum quod*, siquidem hoc est *totus homo DEI*. Secundum hanc *totalitatem* explicabimus *Subiectum* (a) ratione *quidditatis*, quo respectu *Subiectum* non est (a) *Deus*, qui licet sit *Doctor Doctorum, Autor Theologiae*, vel omnis *Theologicae Veritatis*, tamen nec *ἀμέσως*, nec *ἀβγαλειπῶς*, neq; *παραμέως*, vel *immediate*, vel *inesinenter*, vel *ordinarie*, vult homines docere, nim quoad *externam informationem, vel publicam, vel privatam, vel Scholasticam, vel Ecclesiasticam*, cum *Deus* in *Ecclesia militante* non agat nobiscum *immediate*. Hac de causa *Subiectum* non dicitur *ὁ θεός*, sed *ὁ ἄνθρωπος* ☉, non *ὁ θεὸς υἱός*, sed *ὁ θεὸς ἄνθρωπος* ☉: alius autem *Deus* est, alius *Homo Dei*. (b) Nec *Angelus*, sive *bonus* sit, sive *malus*. Nam *malus Angelus* nec est, nec esse potest, nec esse vult *Theologicae veritatis Doctor*, vel *propagator*, cum sit ejus non *Testis*, sed *hostis*: & licet *πολυχράμω* iste, vereq; *μωροτεχνίτης*, sua sponte nonnunquam docere talia velit, tamen non nisi *fraudulenter*, nec unquam *bono* sine *revelationis* vel *informationis*, munus suscipit: *Bonū* quod concernit *Angelum*, ille quidem *Nuncius & Interpres Dei*, sed *extraordinarius*, non *Ordinarius, temporarius, non perpetuus, non terrestris, sed caelestis* &c. Nec *Angeli boni*, tanquam *membra*, sunt in *Ecclesia Militante*, nec pertinent ad *internas Mystici corporis partes*, unde nec *Ordinarium Doctrinae Theologicae subiectum* esse possunt. Sed (c) *Subiectum* dicitur *ὁ ἄνθρωπος* ☉, adeoq; *verus Homo* dicitur *Subiectum*: *Causas* vero, quare *Deus* non *Angelorum*, sed *Hominum Ministerio* voluerit ad *Theologiae propagationem, & fructuosam informationem*, uti, saepius alibi notavimus, hic eas producere nolumus. Consideratur autem *Homo* non ratione *Φύσεως*, sed ratione *διδάξεως*, non *ἀπλῶς*, ratione *sui*, sed *χρητικῶς*, ratione *DEI*, hinc non simpliciter dicitur *ὁ ἄνθρωπος*, sed *ὁ θεὸς ἄνθρωπος* ☉, ubi quasi *centrum, & nucleus, esse totum, forma, vel ani-*

## DE SUBJECTO CONSUMMATO,

*ma.*, consistere deprehenditur in voce  $\xi \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma$ , quæ magna cum *emphasis* pariter in *medio*, quod longe majorem habet *vim* ac *efficaciam*, quam si vel præmissum fuisset,  $\tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma \acute{\omicron} \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ , vel postpositum  $\acute{\omicron} \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma \xi \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma$ , quæ positio *momentosa* plurima Theologos monere debet. *Totus* igitur *Theologus* sit *Dei*, quia *totus Deus* est *Theologi*. Vel etiam  $\acute{\omicron} \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$  est *Materiale*, &  $\tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma$  dicitur *subjecti Formale*, quod suo modo *dat* *Theologicum esse*, *distingui*, simul & *operari*.

18. (B) *Ratione quantitatis*, sic potissimum latitudo, videlicet *ratione prædicationis* notanda venit, quæ ratione dicitur (1) quod hoc *Subiectum* non  $\acute{\alpha}\pi\lambda\acute{\omega}\varsigma$  sit *universale*, quasi videlicet *omnis Homo* sit *Theologiae speciale subiectum*: hoc enim minimè dicendum, quia non *omnis Homo* dici potest  $\acute{\omicron} \tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ ; nec *omnis homo* Deum verum novit, nec eum rectè nosse cupit: Ergo pariter *homo Dei* dici nequit. (2) quod hoc *subiectum* non sit  $\pi\acute{\alpha}\varsigma$  *universale*, quoad *Ecclesiam*, quasi videlicet *omnes Ecclesiae cives* sint *subiectum Theologiae*: nec hoc *intentioni* divinæ, nec *constitutioni* Ecclesiasticæ, neque *conditioni* Hierarchicæ, vel aliis consentaneum: cum in *Ecclesia* *varii* sint *Status*, *variae* constitutæ *divinitus Hierarchiae*, non igitur *omnes Theologico studio* vacare, vel *operam dare* possunt. (3) quod hoc *Subiectum* non sit *absolute particulare*, quasi videlicet *quilibet* qui modo velit, *Theologus fieri*, vel *esse* possit. *Non enim ex quolibet ligno fit Mercurius*.  $\acute{\omicron} \tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$  non est *vulgaris*, sed *singularis homo*, non  $\tau\acute{\omicron}\varsigma \kappa\acute{\omicron}\sigma\mu\varsigma$ , sed  $\tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma$ , non  $\psi\upsilon\chi\iota\kappa\omicron\varsigma$ , sed  $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota\kappa\omicron\varsigma$  I. Cor. II. 14. Multa propterea requiruntur ad *verum Theologum*, qui sit, & vere dici possit  $\acute{\omicron} \tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ . (4) Sed quod hoc *subiectum* sit *ἐξοχικῶς particulare*, vel *singulare*, cum *Theologia* sit *habitus θεόςδοτος*, quæ *singularem Dei Gratiam* requirit, & *dona Spiritus sancti* pariter exigit, unde quasi *singulariter* dicitur  $\acute{\omicron} \tau\acute{\omicron}\varsigma \theta\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$  *verus Homo Dei*.

19. (1) *Ratione qualitatis*. Plurimæ sunt equeidem *Theologi qualitates*, quas etiam secundum *Pauli* binas ad *Timotheum Epistolas* hic recensere possemus, sed hac vice manebimus, & in illustri  
titu.

VERO THEOLOGO EX I TIM IV. 17.

titulo, & in triplici respectu præcipuo. Cum enim tres sint Cardinales virtutes, vel qualitates Christiani, (multo magis etiam de Theologis hoc dicendum,) nim. Fides, Caritas, & Spes; sic etiam in Theologo vero conspicitur (1) Doctrina divina, ratione fidei, quam Paulus præter alia demonstrat in Timotheo v. 14. 15. 16. (2) Vita divina, ratione charitatis, quam multis testificationibus in his Epistolis de Timotheo Paulus ostendit; & quomodo Theologus vitam aliorum, quoad bonos mores efficaciter informare, vel etiam quoad malos mores laudabiliter reformare posset, nisi sequela virtutum, & fuga vitiorum in eo compareret? (3) Patientia divina, ratione Christiane spei: nam quia dura verorum Theologorum fortuna, sic etiam heroica pariter in ipsis patientia; ut fortiter adversa cuncta, secundum exempla Pauli & Timothei, suscipere valeant. Conf. v. 10. 11. 12.

20. (2) ἀσπασίως, vel partialiter, juxta Subjectum ut quo, sic Theologia subjective dicitur esse (1) in Theologorum animis, quia cum aliis habitibus etiam Theologia mentis habitus dicitur, adeoque sic in mente vere suam propriam sedem habere deprehenditur. (2) in Theologorum desideriis, seu voluntate, cum Theologia sit habitus non Theoreticus, sed Practicus, siquidem non in nuda theoria, sed praxi consistit, secundum illud Maimon. Tal. tor. c. 3. Studium Legis, sive Theologiae, deducit ad opus (nim. ex studio Legis Theoretico, juxta naturam ejus sequi debet Practicum) præcedit enim Theoria, sequitur Praxin ubiq; & illud R. Simeon. c. 2. Pirk Abhor. Non sermo fundamentum est, sed factum: practica verò quæ sunt, juxta Philosophos etiã, in voluntate sunt. (3) In Theologorum linguis, quia semper de rebus Theologicis loquuntur. (4) In Theologorum oculis, quia semper & indefinenter legunt sacras literas, secundum illud Pauli: Attende lectioni I. Tim. IV. 16. (5) in Theologorum auribus, quia cunctæ deliciae sunt aurium apud Theologos, de rebus Theologicis eruditissimos discursus, vel utilissimas Collationes audire, sicut à nonnullis huc accommodatur illud Davidis Ps LXXXV. 9. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, in quo Vulgatus cum Grecis consentit: ἀκροαμαί, πη λαλήσει ἐν

DE SUBJECTO CONSUMMATO,

ἐπι νόεσθαι ὁ θεός, hoc tamen non sensu *Weigeliano*, vel *Enthustastico*, sine verbo, sed potius *Christiano*, vel *Theologico*, per verbum accipiendum: Male proinde *Weigel*. p. 3. postit. locum hunc ad errorem suum trahit scribens: In etnen stillen Sabbath sol man auf Gott warten/ mit David nieder sitzen und hören / was der Herr in uns redet: potissimum *Weigelii* fundamentum latet in eo, quod Deus dicatur in nobis loqui: verum hæc est *LXX.* & *Vulgata Versio*, non autem *divina revelatio*, dum in originali non ἰ in me, sed particula *Causalis* ὅ, quia legitur: *Audiam, quia loquitur Dominus Deus: Theologus* audit Deum ex verbo, non sine verbo, quia *Verbum DEI* prora, puppisve *Theologiae* (6) in *Theologorum manibus*, dum scilicet *calamos* arripiunt, & scriptis etiam *Theologiam* ex verbo *DEI* notant, explicant, & adversus *Hæreticos* quosvis defendunt.

21. [3] πρᾶκτικὸς, quia vere *Præcticum*, non *Theoreticum* subjectum debet esse *Theologus*, quod etiam *Paulus* indicare videtur (1) quia dicitur ὁ θεὸς ἀνθρώπων ὁ: jam & ipse Deus est in perpetuo motu, vel actu, sicut inquit *Christus* *Job. V. 17.* *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, quem *Dei Homo* citra dubium imitari debet. (2) quia status proprius *Hominis Dei Ministerialis* est: jam autem *Ministerium* non est *Theoreticum*, sed *Præcticum*, cum *servus*, vel *Minister* sit *Organum Domini sui*, juxta *Philosophum*. (3) quia vera perfectio tendit ad operationem: jam autem *Homo Dei perfectus* esse dicitur. (4) quia *Theologus*, vel *Homo Dei*, respicit nihil aliud, juxta *Paulum*, quam *Opus*, & quidem quod majus est, *bonum opus*, imo quod maximum, omne bonum opus: habet igitur, quod agat *Theologus*, ut nunquam simpliciter ociosus esse queat. *Theologorum ocium maximum* dicitur esse *negativum*.

22. Ab his progredimur ad *Formam*, quæ satis plane, satisque plene nobis describitur (1) quoad fieri, quia dicitur ἐργασίας. (2) quoad esse, quia dicitur ἀπὸς. (3) quoad operari, quia dicitur idoneus ad omne bonum opus: primo respectu considerentur à priori, secundo à formali, tertio à posteriori; primo ratione

VERO THEOLOGO EX II. TIM. IV. 17.

tlone *DEI*, secundo ratione *sui*, tertio ratione *nostri*; primo ra-  
tione *causa*, secundo ratione *natura*, tertio ratione *energia*; pri-  
mo ratione *principii*, 2do ratione *medii*, 3tio ratione *termini* &c.

23. Ostendit hæc omnia notabile nomen ἀγνός, & notabile  
participium ἐξνησμένον. Quod attinet vocem ἀγνός, eam  
formam subiecti designare, probatur (1) ex vocis natura, quia no-  
men ἀγνός significat eum, qui perfecte, vel integre, congrue vel  
apte, convenienter & sufficienter se habet, i.e. perfectum; vel eum  
qui tenet omnem ἀγνότητά, perfectionem omnem, integritatem  
omnem; vel qui vere dicitur δεσπότης, aptatus, adaptatus ab ὀρω,  
apro, vel adapto (2) ex conjugatorum natura: nam & δεπίζω, quod  
non solum compingere, seu componere, ac coagmentare, sed etiam  
complere, perficere, & absolutum reddere significat: & tria potissi-  
mum composita sunt in usu, nim. ἀναπείζω, καταπείζω & ἐξαπεί-  
ζω, qui perficiendi significationem augent, & quidem ἀναπεί-  
ζω suo modo ratione causa, καταπείζω ratione forma, & ἐξαπεί-  
ζω ratione meta (3) ex significationis natura: nam quia descen-  
dit originaliter ab ὀρω, notat ejusmodi perfectionem, quæ modis  
omnibus congruè tum ab initio, tum in medio, tum in termino, sic  
elaboratur, efformatur, & consummatur, ut omnia sibi per con-  
gruam & suavissimam harmoniã mutuo respondeant (4) ex ap-  
pellationis natura, quia vocatur ὁ θεὸς ἀνθρώπος, ubi Deus est ani-  
ma forma, vel etiã omnia: jam ubi Deus ita reperitur, ibi nõ deest,  
nec deesse potest perfectio. Perfectio causæ perfectio formæ. [5] ex  
causæ natura, quia Deus hic est causa primaria. Verbum Dei secun-  
daria: Deus autem vox formã sistit, & omnem perfectionem effi-  
cit, atq; verbum Dei perfectionem omnem parit, quemadmodum  
ex præcedentibus est apertum. [6] Ex subiecti natura, quia Theo-  
logus verus, & est, & esse debet perfectus, perfectione nim. compa-  
rata, vel Theologica, quæ perfectio dat esse formale Theologo, nim.  
ut distingvatur hac ratione tum ab Idiotis, vel laicis, secundum  
illud Hebræorum &c. כֹּהֵן וְלֹא עַם אֶרֶץ, h. e. non populus  
terra [laici, vulgares, simplices, illiterati homines, Idiotæ] potest  
vocari Sanctus, vel Theologus eo quod praxis sine theoria non recte  
se habet: item à Viris mundanis atq; politicis, qui res civiles, & ad  
exter-

DE SUBJECTO CONSUMMATO,

externa mundi regna spectantes, tractant: ut & à Theologia Studiosis, qui nondem omnem perfectionem Theologicam consecuti sunt.

24. Sic idem etiam declarat participium ἐξηλοισμένον, quod respicit [1] perfectionis principium, ipsum Deum: quia quem Deus perfectum reddit, ille verè perfectus est, & manet: nam quem perfectionis omnis Autor, & Doctor elaborat, efformat, & consummat, ille verè perfectus, & consummatus erit Theologus. [2] Perfectionis medium, quod est Dei Verbum, omnis spiritualis & Theologicae perfectionis norma, sicut ex v. 15. 16 manifestum. [3] perfectionis artificium, dum ita Deus Theologum perficit, ut ipse fiat, & sit ejus perfectio, cum sit, & esse debeat ὁ θεὸς ἀνθρώπων, ubi Deus perfectum centrum est, & à Deo promanantes operationes Theologicae sunt perfecta periphoria. Dum autem dicitur ἐξηλοισμένον, ad operari potissimum respectus habetur, quia propterea nec ἀπελοισμένον, vel κατάρτισμένον Luc. VI. 40. adhibetur, sed potius ἐξηλοισμένον, qui respectu Ecclesiae, respectu partae Theologicae, respectu Scholae Theologicae, vel etiam omnium Exercitiorum Theologicorum v. 16. sit accurate preparatus, elaboratus & consummatus.

25. Deniq; paucis subjicimus Causam finalem subjecti, vel Theologi, qua ratione destinatur ad omne bonum opus. Nam Theologus sit Theologus, actu de Deo, rebusq; divinis semper loquens, & agens: πρὸς h. l. particula finalis est, prout ex ipsis verbis apparet. Ipse finis autem verbis brevissimis, attamen accuratissimis, & plenissimis, explicatur [1] ratione quidditatis, cujus respectu dicitur, non γνῶσις, non πρᾶξις, sed ἔργον, quia nō actionem nudam ratione sui, sed adificationem & fructificationem, ratione proximi respicere debet, quod nomen ἔργον exprimit. Non solum esse, sed prodesse debet Theologus: intelligitur autem partim ἔργον Theologicum, ratione Doctrinae, vel Doctrinalis adificationis: partim ἔργον Christianum, ratione vitae, vel spiritualis fructificationis. [2] ratione qualitatis, qua ratione dicitur ἔργον, non πονηρόν II. Tim. IV. 18. sed ἀγαθόν, cum sit ὁ θεὸς ἀνθρώπων. [3] ratione quantitatis, quia requiritur ad πᾶν ἔργον, ad omne bonum opus sufficienter instructo, non ad pauca, non ad multa, non ad varia, sed ad omnia debet esse perfectus, Vid. Chrysost. ad h. l.

05 A 602

ULB Halle 3  
004 207 67X




107

64









A & Ω!  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
CONSUMMATO THEOLO-  
GIÆ SUBJECTO,  
VERO THEOLOGO,  
EX II. TIM. III. v. 17.  
*Quam*  
PRÆSIDIBUS  
*Deo, Ter, Optimo, Maximo,*  
ET  
*Theologo Rariore*  
*hocceve tempore,*  
*Facultatis suæ Decano Spectabilis.*  
DN. D. JOHANNE  
*Deutschmann/*  
Professore Theologo famigeratissimo, Alumnor.  
Electoral. Ephoro primario gravissimo,  
DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE et atem colendo  
Ad diem crastinum  
Publico eruditorum examini sistet  
JAC. FRID. HALLE,  
Sonnenburg. Neo-March.  
A. O. R. M. DC. LXXXVII.  
VITENBERGÆ,  
*Licetis JOHANNIS WILCKII.*